FUNEBRIS ORATIO

IN SACRIS PARENTALIBUS

CELEBERRIMI AC DOCTISSIMI

PHILIPPI CAROLI HARTMANN,

MED. DOCT. PATHOLOGIAE THERAPIAEQUE GENERALIS NEC NON PHARMACOLOGIAE IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA SCIENTIARUM UNIVERSITATE VINDOBONENSI PROF. C. R. P. O. PLURIUM DOCTARUM SOCIETATUM MEMBRI ETC. ETC.

HABITA

IN AULA EJUSDEM UNIVERSITATIS

AB

ANDREA IGNATIO WAWRUCH,

MED. DOCT. PATHOLOGIAE THERAPIAEQUE SPECIALIS ET PRAXEOS MEDICAE IN INSTITUTO MEDICO-CLINICO PRO CHIRURGIS PROFESSORE C. R. P. O.

Die Octobris 1830.

VIENNAE,

TYPIS VIDUAE ANTONII STRAUSS.

Finis vitae ejus nobis luctuosus, patriae tristis, extraneis etiam ignotisque non sine cura fuit.

C. Cor. Tacitus in vita Agricolae c. 43. p. 497.

Ἀνδρῶν ἐπιφανῶν πᾶσα γῆ τάφος, καὶ οὐ στηλῶν μόνον ἐν τῇ οἰκείᾳ σημαίνει ἐπιγραφὴ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ μὴ προσηκούσῃ, ἄγραφος μνήμη, παῤ ἑκάστῳ τῆς γνώμης μᾶλλον, ἢ τοῦ ἔργου ἐνδιαιτᾶται.

Virorum illustrium omnis est regio sepulcrum, neque sola monumentorum in agro domestico inscriptio, virtutem eorum testatur: sed etiam in alieno (solo) memoria, nullis mandata scriptis, magis apud animum cujusque, quam apud sepulcrum, perpetuo manet.

Pericles in or. fun. apud Thucydidem
L. II. c. 43. p. 109. Ed. Hudsoni.

Triste, lugubre ac acerbum fatum, quod nuper splendidissimam, in hoc literarum domicilio, medicae artis columnam, repentina morte subruit, inopinatam occasionem praebet, illustre hoc suggestum conscendendi. Inopinatam, inquam, vel ideo praecipue, quoniam primus, licet obscurus, infestus tamen rumor, jacturam tam cari capitis annuncians, omnes bonos fulminis adinstar ita perculit, ut publica quasi calamitate irruente, attoniti stuperent! Tam flebilis omnibus ter magnus Vir, HARTMANNUS noster, occidit, cujus vel simplex nomen laudum encomia sonat. Heu! quam caduca sunt humana omnia, quamque tenui pendentia filo! —

Laudabilis mos, de patria bene merentibus, justa persolvendi, et mihi hodie dulce tristeque officium injungit, ut fato defuncti recte factorum de patria, de scientiis, de universitate pia recordatione memoriam recolam.

Ast si provinciam mihi demandatam, licet honorificentissimam, vel levi intuitu perlustro, quid mirum rogo Patres Conscripti, Auditoresque ornatissimi, si modeste mihi praetimeo? Omnia enim, quae publice ad dicendum consurgenti timorem incutere valent, et mihi hodie ob oculos versantur. Grandia enim ab oratore exigit hujusce loci majestas; singulari quadam ac consummata doctrina splendentia postulat auditorum ornatissimorum auctoritas; justam piamque recordationem suadet funebris hodierna festivitas; masculam denique eloquentiam, dissertissimumque os exposcit rerum dicendarum ubertas, quae tanta undique emergit, ut illam vel eloquentissimus quisque non dico facundia sua exaequare, sed nec debitis et idoneis coloribus levicule valeat adumbrare.

Quae dum tacita mente mecum revolvo, tam religiosa tam sancta hodierni muneris mei veneratione impleor, ut fide publice data spondeam,

me posthabitis omnibus, summa virium contentione ea solummodo in medium prolaturum, quae sacratissimae veritatis praeconio aeterna mansura, gratae posteritati laudum materiem, virtutumque pie defuncti exemplar datura sunt immortale.

Quapropter si jam denuo, refricata quasi vulneris cicatrice infandum jubeor renovare dolorem, breviter, succincteque desideratissimi viri biographiam perstringam, sequentur merita ejus in salutarem artem, in patriam discipulosque, claudet sciagraphiam virtutum vitae privatae enumeratio. Sentio equidem perbene, intimeque persuasus sum, celeberrimum virum et dolorem publicum me longe digniorem interpretem promeruisse: quum vero in magnis vel voluisse sat est, pro tenuitate senescentis ingenii mei attamen adnitar, ut manibus dignas consecrem inferias! —

Hoc agenti parabit attentionem, defuncti adamatum nomen conciliabit benevolentiam, vestra P. C. Auditoresque ornatissimi! spectata in audiendo lenitas, benigno annutu eriget et me interdum cespitantem. —

Philippus Carolus Hartmann Medicinae Doctor, nuper in universitate scientiarum Vindobonensi generalis Pathologiae, Therapiae et Pharmacologiae Professor publicus ordinarius, optime emeritus, dein vero Pathologiae Therapiaeque specialis, nec non praxeos medicae in instituto clinico pro medicis publici professoris vices gerens, plurium doctarum societatum membrum, honestis ingenuisque parentibus Hagiopoli (*Heiligenstadt*) in provincia Eichsfeldensi Borusso-Rhenana, 20. Januarii anno 1773 natus, a primis jam incunabulis in id quasi peculiari sorte destinatus fuisse videtur, ut futurae fortunae proprius faber evadat. Sexennis enim patre, octennis matre orbatus, a teneris unguiculis propriae sorti relictus erat. Ob parcam crumenam a desideratissimis parentibus haereditate relictam, cum egestate sibi erat colluctandum, quod quidem habuit cum magnis ingeniis, quae in humanae gentis emolumentum pauperi sub tugurio interdum nascuntur, admodum commune. Prima literarum scientiarumque fundamenta in schola domestica tam felici cum progressu jecit, ut inter eminentiores plerumque emineret. Ineunte aetate, quae futurae vivendi rationis optionem imperat, Sacrosanctae Theologiae destinatus, inopinato casu intercurrente arti salutiferae nomen dedit. Tandem avunculus ejus, eximii ingenii dotes perno-

scens, exigua stipe domi suae egentem sublevans, humanitatis studia emenso, et ad altiores scientias combibendas aspiranti, ut Gottingam migret, auctor suasorque erat.

In illo scientiarum omnis generis illustri ac inclytissimo Athenaeo nihil habuit antiquius, quam ut Philosophiae et artis medicae magistros praeclarissimos indefessa industria frequentaret, eorumque dicta et scripta in succum ad sanguinem converteret, bibliothecaeque thesauros exhauriret. Philosophiae amor praeprimis tantas inter studia medica tamque profundas egisse videtur radices, quae et in reliquae vitae decursu inconcussae usque semper perstiterant.

Metam vero studii medici fere assecuturum, majoris emolumenti spes, Gottinga sevocans, Viennam tulit, praxim in nostro amplissimo Nosocomio sub auspiciis celeberrimi Petri Frank combibiturum. Non piguit et hic spatio duorum annorum lectis aegrotantium singulari industria assistere, difficultatum taediique plenas praxeos lacunas exhaurire, mentemque solertissima morborum observatione acuere et pro futuro exercendae artis usu, idoneam reddere. Quae omnia adeo cum felici eventu et admiranda solertia praestitit, ut tandem 31. Januarii 1799 plaudentibus undique bonis doctoris medicinae laurea cingeretur.

Ast in flore aetatis constitutum, scientiis ornatum, ad profligandos generis humani hostes mascula virtute praecinctum, plusquam consuetae manebant aerumnae. Ultimum enim paternae haereditatis obolum academici honores absorpserunt, ut (quod et plerisque nostrum ita contigisse opinor) nonnisi alterius medici fama inclyti sociatis viribus, qua vivat, stipem quaereret, exiguam. Datam occasionem ad latus defuncti Doctoris Barth, in suburbio Wieden medici designati, exercendae praxeos avidis manibus arripiens, diu noctuque impigrè salutiferam periclitantibus opem tulit.

Donec tandem anno 1803 lynceo Praepositorum, exantlatos labores juste aestimantium, visui innotescens, in Nosocomio, quod Mauerbachii insanabilibus et marasmo confectis dicatum est, Physicus cum salario ex aere publico crearetur. In hunc portum feliciter delatus, ab omni urbana infestatione semotus, aegris, scientiis, sibique vivere, horasque subsecivas scribendis animadversionibus consecrare.

Jam tunc temporis ex ungue potuisses noscere leonem. Otii exacti seges partim in publicis ephemeridibus, partim in opere, debellando Brownianismo destinato, opimam messem frugesque uberrimas portendebat.

Nec spes de Viro egregio concepta fautores fefellit, quinimo triennio elapso theoreticae practicaeque Medicinae in Lycaeo Olomucensi, in Moravia, Professor publicus ordinarius, Nosocomii et Euriscomenotrophii Medicus designatus, tanto applausu rem suam gessit, ut surgentis quasi aurorae radii, et diluculi famae ejus claritas, splendorem meridiei augurarentur.

Praecucurrit fama meritorum ejus aestimationem. Quinquennio elapso ob eximias ingenii dotes, ob indefessam in muniis adimplendis industriam, ob exantlatos labores improbos, denique ob famam et docendo et scribendo merito partam licuit tandem esse ita felici, ut Imperatoris Augustissimi (quem utinam incolumem Nestoreos in annos servent superi! —) Caesarea munificentia in Universitate Vindobonensi Pathologiae Therapiaeque generalis et Pharmacologiae Prof. C. R. P. O. (1811) crearetur! — Quo munere quam honorifice per septemdecim annos fungeretur, id alteram orationis meae hodiernae partem constituet. —

«Medici, rerum usu occupati, raro scripsere: caeteri inventa rationis «disputatione, vel tradita ab aliis descripserunt» gravis admodum vir, Hermannus Boerhaave alicubi asseverat. (De studio Hippocratico.) Illud autem effatum in celeberrimo Hartmanno, quemadmodum in ipso Boerhaavio meritam patitur exceptionem. Uterque enim et praxi et scribendis libris vacabat, quod et egregium et certe rarum est.

De insignibus ergo celeberrimi viri Hartmanni in literas meritis verba facturum, juvabit me opinor mirifice, si paucis epocham commemoravero, qua nempe et prima scribendi tentamina instituit, et singula opera exaravit. Mirum et indignum (ut cum Plinio loquar) protinus subit, nullam artium medicina inconstantiorem fuisse, et etiamnum saepius mutari, cum sit fructuosior nulla. Tempore igitur medicis literis minus favente, triste hinc inde lolium sterilesque avenas ferente, insignis vir inclarescere coepit. Nova Brownii doctrina, nebularum in patria nata, nocivo afflatu integrum Europae continentem inquinavit ita, ut non solum in scholarum umbraculis ex cathedris undique personaret, sed (proh dolor!) in ipsa praxi

publica immensam stragem edendo, miserandas victimas de die in diem cumulando, grassaretur. Perterrita humana gens, nova inauditaque clade, ipsa morborum turma pestilentiore, supplices tetendisse videtur palmas erga sanioris mentis medicos, vitae necisque arbitros. Nec incassum! — Boni, qui vel ideo semper rari sunt, en consurgunt sparsim medici, systematis simplicitate non penitus excoecati, ad vanas opiniones refutandas, quae latius serpendo nefarium interitum salutiferae arti minabantur. Eorum nobilis antesignanus erat certe noster HARTMANNUS. Quod eo majori laudi ipsi tribuendum est, quum junioris medici aetatem agens, ejusdem systematis esca enutritus, magistrorum verba abjurans, strenuissimi commilitonis virtute id ipsum armis victricibus pro virili oppugnasset. O! praeclarum ingenium! O! sagacitatem inauditam, quae venturae aetatis severum judicium clara divinatione antevertebat! Non te fefellit, vir eximie, non te fefellit augurium, quo doctrinae seductricis imminentes brevi exuvias hariolabaris! — Non tibi imposuit illustrium virorum, eidem idolo famulantium, auctoritas, quae in arte nostra solummodo tantum valet, quantum natura castis eorum observatis suffragatur! — Non te decepit doctrinae novitas, quae ludicram famam aucupando anima statim nostra negociatur! — Jam vel inde laudes tuae aeternae mansurae!

Simili fere successu et aliorum systematum, in medicina fatui ignis adinstar fere quotidie illucescentium apparitionem, retundebat.

Sed omittam haec, cum paulo majora orationem trudant, in generis humani emolumentum perfecta. — Alia lues internecionem saluti publicae intentans, rerumque publicarum prima stamina eversura, e finibus insanientis Galliae, perfractis patriae limitibus, in ditiones nostras prorupit. Horridus saeviit Mars, rapinis, incendiis, gladioque miscens omnia; antiqua regum solia sus deque vertens; focos, aras, et templa solo aequans; qui morborum pestilentium ferocissima cohorte stipatus, in generis humani detrimentum, inque capita insontia conjurasse videbatur. Sparguntur humi mutilata membra, sparguntur cadavera, replentur aegrotantibus nosocomia, templa publica, compita, domus privatae, horrendaque mors mephiticis exhalationibus familias, pagos, urbes, integrasque provincias populatur. Quid tunc noster Hartmannus? — Quid? Mene interrogatis? Subjiciam illico! Humani

medici, cordati viri, medendo, opem ferendo, miserias sublevando, desperantes humaniter solando — intrepidi sospitatoris vices agit. — Denique in sacrae rei complementum aurato pretio civilique corona dignum opus de Typho contagioso exarat, quo et alii medici ceu cynosura in morbo debellando utantur!

Jam vero aliorsum dirigamus attentionem nostram. Si quidem verum est, quod nemo sanae mentis inficias ibit, celeberrimos scriptores in operibus suis proprium characterem et vivendi et cogitandi expressisse: tum profecto vitae rationis Hartmanni testem graviorem non habemus, quam librum ab eo evulgatum, subaudi: Eudaemologiam (*die Glückseligkeitslehre*). Hoc thema jam a priscis temporibus dignam philosophorum exercuit attentionem. Omnis enim homo, quamdiu vivit, ferventissimis votis exoptat, ut beate vivat. Nam ii, quorum nihil interest, utrum pecorum more vulgatissimam et tritissimam viam sequantur incurii plerumque sunt, qua ratione ex hac vita excedant. Generis vero humani benefactores philosophi sedulis indagationibus vitae beatae principia investigabant. Ast quae differentia inter illos! Alii nonnisi volupe vivere, naturae humanae putarunt consentaneum, hinc et beatae vitae fundamentum statuebant in voluptate ipsa. Alii ex opposito in fugiendis voluptatibus, alii in tranquillitate mentis, in perfecta libertate alii, alii denique in spernendo dolore ipso beatam vitam sitam esse opinabantur. In quo autem noster Hartmannus? In sanitate corporis et mentis conservanda, in apposite vivendo ad leges naturae hominis Eudaemoniam reposuit. Et recte quidem, ut ego opinor, et nisi me fallunt omnia. Si enim perfecta non frueris valetudine, quid te juvabunt voluptates? Si hae duntaxat pro summo bono habendae forent, tunc beata vita inter convivia, in popinis, imo et in fornicibus inveniretur. Nunquam certe ipsa virtus, quae non raro callosas manus, laboribusque obduratum corpus praebet, ipsa, inquam, virtus nunquam beate vivere posset. — Si vero nonnisi in despectu omnium vitae oblectamentorum inque spernendo, juxta Stoicos, omni dolore: tum profecto lapidibus et saxis nemo beatior, qui nec voluptatibus nec doloribus afficiuntur.

Nostro igitur Medico-philosopho id curae erat, ut in valetudine conservanda et in operationibus mentis reddendis nobilioribus naturaeque le-

gibus congruis, summum bonum reponeret. Nam, ut ipse Seneca fatetur, absque sanitate nulla vita beata. — In hoc eximio opere ergo demonstratur, qua via eundum, evitata illa, qua itur. Dies me certe deficeret, si aureas sententias, quae ad beate vivendum faciunt, excerpere aut corradere vellem. Id unicum severe inculco, moneo moneoque, ut quilibet librum aureum, cui vita beata cordi est, legat relegatque, nocturnaque verset manu, versetque diurna.

Quam sedule vero bono patriae publico invigilaret, testantur ejus labores exantlati in redigendis scriptis periodicis, austriacam medicinam concernentibus. Communibus enim suffragiis redactor annalium nec non observationum medicarum cooptatus, rerum immensam fere molem distribuit ita, ut opus per septemdecim annos adolesceret, et de die in diem perfectioni suae appropinquaret. Hic certe codex venturae aetati luculentissimum praebebit testimonium de illa splendidissima literarum medicarum epocha, qua ille nempe lucem aspexit. Conferant, si placet, exteri aequi rerum aestimatores volumina ista cum vulgaribus scriptitationibus periodicis, et fatebuntur certe, viguisse semper in Austria peculiarem spiritum, tum in docendo, tum in scribendo, tum in exercenda praxi, qui nullius temporis servus, sed castioris naturae exstitit observator. Liceat ergo merito gloriari hac docendi et scribendi ratione, quae vana figmenta non captat, sed infucatam naturam pede presso sequitur. Opinionum enim commenta, Bacone teste, delet dies, hypotheses, plenisque buccis depraedicata systemata facillime corruunt, ac post aliquot decennia vix vestigia remanent aedificii, refragante ac obluctante natura constructi!

Grave theoriam medicam docendi munus aggrediens, incassum, ut ipse candide fatetur, Pathologiae generalis quaesivit enchiridium, latino idiomate exaratum, progressibus artis medicae suppar, publicis lectionibus nostraeque scholae genio idoneum. Doluit quippe vir egregius Medicinam a prisca gloria descivisse, turpiterque ab efficacissimo artis magistro, Usu, ad ficta, nova, inaudita, ad perniciosam libidinem luxuriantis imaginationis defecisse, qua doctores et scriptores medici, nostri aevi complures, abripiuntur; ut pruritui, (verba ejus refero) rationis humanae sphaeram transilientes, ingenium, humano multo altius, ostendendi, satisfaciant. Merito

igitur a docente theoriam medicam, critici ingenii acumen, sagacitatem philosophicam, indefessum rei literariae studium, continuumque naturae scrutinium desiderat. Hisce adminiculis suffultus, Pathologiam generalem evulgat, opus omni numero absolutum, cujus praestantiam vel inde colligere licet, quod unanimi applausu salutatum, plerisque exterorum lectionibus docendi normam suppeditasset.

Pari fere passu librum mox laudatum sequitur ejus Pharmacologia dynamica, cujus materiam superat opus eximium. Ipsa enim ὕλη ἰατρικὴ nonnisi supellectilem medici domesticam efficit. Qua ratione autem illa utendum, artifici incumbit demonstrare. Jam vel inde patet ergo ad Pharmacologiam rite exponendam cana et annosa experientia opus esse. Parum enim refert scire, quid alii medici de hoc illove medicato corpore senserint aut dixerint; id enim, si scire liberet, quispiam fontem ipsum adire satius ducet, quam ut turbidos sectetur rivulos. In assignandis remediorum virtutibus integer cardo in illo versabitur, quid tu expertus fueris, et utrum virtus tibi enarrata ad lectum aegrotantium eundem effectum praebuerit, nec ne. Foetet enim omne opus, in quo termini: dicitur, fertur, ajunt etc. frequenter occurrunt, qui audita enarrant, nec propria experientia castigata recensent. Nullibi ergo tanta observationum experimentorumque moles exigitur, quam in materia medica enarranda. «Quis enim aequo ferat animo, (verba sunt «magni Boerhaavii,) jactari palam et ubique sanationes malorum, quae, si «jactata medela pellere tentes, irritata et aucta, non sublata, neque sopita «indignamur? — Cui nam ea lenitas, ut non commoveatur circulatorum pa«nacaeis?» — Tam gravia ergo incumbunt officia materiei medicae professori. Fugiendi omnino sunt in remediis applicandis audaces atque temerarii: in eorum effectu observando, praecipitanter festinantes; praedilectae theoriae lenociniis excoecati, sinistrum eventum studio occultantes; in prosperis extollendis jactantes; aliena observata livido dente rodentes; denique sua, ast putida ad ravim usque depraedicantes! — Hos serius resipiscentem sequi pudet; hos propriis damnis cautum ultro imitari poenitet; hos centies nefarie deceptum denuo decipi taedet. — Praxis enim magistra optima, futilia serius explodit; sincerum artis exercitium jactanter dicta retundit; casta observatio opinionum paleam difflat; remanentque denique pauca, sed certa;

vilia sed apta; obsoleta sed explorata; noviter inventa (jam ob ipsam novitatem suspecta) ad venturae posteritatis severum judicium relegantur. Hi sunt certe canones ex Pharmacologia Hartmanni desumpti, quorum fidus assecla opus hoc consummavit.

Sumptuosi igitur aedificii, quod immortalitati nominis sui struxerat vir, nunquam sine reverentia nominandus, laudata scripta praecipuas columnas constituunt, quae regali fastu in aethera surgunt. Sed nec desunt externa ornamenta, quae diverso sub nomine partim in ephemeridibus Salisburgensibus, partim in annalibus austriacis, partim famae suae seorsim consecravit. Ibi enim de influxu Philosophiae in theoriam medicam, de natura et therapia typhi contagiosi, ibi symbola ad theoriam medicam, ibi de vitae processu, praecipue de morborum sanatione methodica et illa, quae perficitur ad indolem genii temporis singulae dissertationes cernuntur. Quodlibet ornamentum suo pretio non caret, quoniam in omnibus architecti ars eximia in conspectum prodit. Festivum autem admodum, meo quidem judicio illud ultimum est, in quo novam medendi methodum nostrae aetatis adeo satyrico dente rodit, adeo faceto joco perfundit, ut mireris merito, nescio, an magis ejus sagacitatem, an vero de salute humana sedulam philosophi solicitudinem. Assertum enim ejus, aegrotantes ab hodiernis medicis nonnisi Calomelano, Jodina, tartaro stibiato, hydrargyro sublimato, aliisque id genus venenis ab incunabulis ad feretrum usque saginari, ita veritati consentaneum est, ut omnis probus in illius sententiam manibus pedibusque eat.

Sed jam ad interiora mysteriorum adyta valvae patent. Introite pii. Favete linguis. Hic dii sunt. — Procul este profani. Revelatur liber, sibyllinis paginis sacratior (*der Geist des Menschen*) de anima et mente humana, de libero arbitrio, de animae immortalitate tractans. Si quis excelsius sublimiusque argumentum noverit, id ipsum proferat, rogo, et ego (ita me Dii ament!) ultro lubens silebo! —

Ex hucdum assertis luculenter apparet Genius scriptorum Hartmanni vere philosophicus. Rogatos autem vos velim, P. C. A. O., ne libros ejus illis accenseatis, qui consuetim Philosophorum nomen sibi arrogant, cum tamen non nisi imberbes scioli, nasutuli, blaterones, omnem lite-

rarum rempublicam suo supercilio niti existimantes, gravem amictum, caput leve gerentes, veritatis nequaquam asseclae, canoris nugis, stridentibusque verborum crepitaculis scripta sua replent, in quos Homeri illud quadrat, quod de Ulysse, technarum artifice, quondam cecinit:

Ἴσκε ψεύδεα πολλὰ λέγων ἐτύμοισιν ὁμοῖα·

et Martialis ita vertit:

(Plurima dum fingit, sed quasi vera refert),

qui denique, quo meliores nati, eo pejores moriuntur. — Avertant superi, ut nomini, pie defuncti, talis macula inuratur. Hartmanni enim Philosophia illa est virtutum parens, altrix, beatae vitae magistra, religionis cultrix, modestiae inventrix, veri indagatrix, quam divus Plato de coelis sevocasse fertur, quamque donum et inventum deorum immortalium dicit, quo homini majus aut melius datum non fuerit. Non nisi hac ornatum medicum Senex Cous ἰσόθεον (deo similem) appellat! —

Hic jam vela orationis meae colligere possem, nisi ad illa protinus facienda provocarent honores tantis ejus meritis et debiti et tributi.

Tam insigne virtutum ac doctrinae exemplar diu latere non potuisse, quin radii ejus altius pertingant, cum in Austria vixerit, merito sperandum erat. Et spes revera non fallebatur. Imperator enim Augustissimus, ex Prosapia in literatos semper munificentissima oriundus, Meritorum Hartmanni judex aequissimus, proprio motu salario ejus quingentos annui aeris florenos assignat, quibus et virtuti premium, et solertiae novum calcar adderet. O! quam volupe est, tam excelsis sub auspiciis Patriae omne suum navasse! —

Fama eundo crescens latissimis austriacarum ditionum limitibus non potuit amplius coërceri, quin tandem diffractis repagulis, torrentis ad instar Europam integram permearet. Doctae enim societates, utpote: Erlangensis physico-medica (1816), Rhenana Bonnensis physico-medica (1820), Berolinensis medico-chirurgica (1823), Würceburgensis philosophico-medica (1827) Hartmannum certatim in coetum suum cooptarunt.

Nil autem tali viro honorificentius blandiri potuerat, quam cum anno 1814 ab Autocratore Rossiarum ad publicum docendi munus susci-

piendum; anno vero 1819 ab Universitate, quae Bonnae est, ad praxim et clinicum institutum dirigendum; tandem vero anno 1823 ad habenas Berolinensis nosocomii suscipiendas invitaretur. — Quae quidem specimina justae aestimationis meritorum ejus summa cum modestia usque semper, patriae amore flagrans, reclinavit.

Anno tandem 1829 ad summum patrii honoris cacumen eluctatus, vacantem cathedram in instituto clinico Vindobonensi pro medicis modo provisorio conscendit, cujus splendorem summum antecessorum manes hucdum effecerunt.

Ast proh dolor! honorificum onus senescentis viribus adeo grave, ut aetas ejus, etiamsi juvenili solertia pollens, vix ferre potuisset, inconsuetae occupationis mole oppressit ita, ut vires nocturnis diurnisque laboribus exagitatae tandem exhaurirentur, repentinaque morte 5. Martii 1830, aetatis suae 57. anno nervosa apoplexia subreptum doleremus! —

Jam ad te, egregia juvenum corona, quae me parentantem cingit, meam converto orationem. Si ex luctu publico, quanta sit deperditi boni jactura colligere licet: tum profecto vestra, quibus licuit esse tam felicibus, Hartmanno magistro uti, est certe immensa, irreparabilis! Memini enim, et donec vivam, meminero ejus diei, quo primum nuncium de morte illius divulgaretur. Mox enim velut in vasta solitudine omnia tristi silentio muta torpebant. Nec unquam absque tenerrimo mentis affectu horae infelicis meminero, cum exequiae illius ducerentur, quam taedarum coruscus fulgor, tubarum et lituorum horrisonus clangor, concomitantis juventutis vestitus pullus, collegarum moerentium gravis lentusque incessus, luctuosam adeo effecerunt, ut merito amorem patriae sepultum iri, dixisse possimus.

Vestrum jam itaque erit, illustre hoc exemplar prae oculis habere. Vestrum erit, nullis terminis circumscriptos artis limites omni virium contentione ad illius imitationem promovere. Vestrum erit, civium sanitatem et capita, totidem utpote grata reipublicae pignora, vestris olim curis concredita, incolumia servare, eorumque morbos ad Hartmanni normam arcere, debellare, profligare. Vestrum erit, poscentibus reipublicae commodis, ut quondam carus ille magister, vitam ipsam consecrare, immolare, devovere. Vestrum denique erit (en! jam mentio ipsa et mihi petenti tenerum inspirat

affectum) insignis viri memoriam coacervatis de patria meritis recolere, perennem conservare! — Sed quorsum haec? — Quid amplius vos admonitione morabor, adolescentes optimi, qui ad omnia bona imitanda tanto impetu mentis ferimini, ut frenis potius quam calcaribus indigeatis? —

Denique, quodsi et posteri habitum ejus noscere velint, sequentia fere illum designant: Statura procera, gracilis, caput antrorsum quidpiam pronum, crinis canescens, rarior, vivax oculus, vultus decens, libera frons, oris gratia, vox ima, loquela mitis, pectus generosum, incessus gravis, et, ut cum Tacito finiam, bonum virum facile crederes, magnum libenter. Ceterum in laborando impertaesus, sedulus, cibi et vini parcus; potus arabici hostis infensissimus; inter amicos hilaris; inter discipulos benevolus pater; in conversando serenus; in disputando ingeniosus; socratici salis amator; in re domestica eximius paterfamilias et in praediolo suo suburbano (in Hitzing) verus ille Curtii Abdolonimus, cui, nihil desideranti, nihil umquam defuit, quem vero flores, propria sedulitate culti, praeprimis beatum felicemque reddiderunt.

Tantus ergo occubuit, tantum deflemus! — Noster hic dolor, nostrum vulnus, nobis amissus est. Id ergo praeceperim, sic memoriam ejus venerari, ut frequentius facta dictaque ejus nobiscum revolvamus, famamque et animi figuram magis, quam corporis complectamur. Ea enim, quae marmore aut aere finguntur, imbecilla et mortalia vultus simulacra praebent, quae quis fecit aut cogitavit, illa non per alienam materiem exprimenda, sed nostris moribus erunt effingenda. Quidquid enim in Hartmanno mirati sumus, id immortale mansurum est. Plurimos certe inglorios et ignobiles obruet oblivio: quae autem ille sibi monumenta posuit, haec sunt lapide, haec sunt aere perenniora, haec nulla exedet aetas, haec nulla unquam obliterabit vetustas! —

Sit tibi terra levis, molliter ossa cubent!

D I X I.

SCRIPTA CELEBERRIMI HARTMANNI:

1) Analyse der neuern Heilkunde, Analyse des brownischen Systems. 2 Theile. Wien bei Joseph Gerold 1802.
2) Glückseligkeitslehre für das physische Leben des Menschen. Dessau und Leipzig bei Georg Voß 1808.
3) Sicherungsanstalten und Verwahrungsmittel gegen Nerven- und Faulfieber. Olmütz 1810.
4) Theorie des ansteckenden Typhus und seine Behandlung. Wien bei Kupfer und Wimmer 1812.
5) Theoria morbi, seu Pathologia generalis. Vindobonae apud Kupfer et Wimmer 1814.
   Editio 2da Vindobonae apud Wimmer 1828.
6) Pharmacologia dynamica. 2 Vol. Vindobonae apud Wimmer 1816.
   Editio 2da Vindobonae apud Wimmer 1829.
7) De mente humana, vita physica altiore. Oratio academica. Vindobonae 1816.
8) Der Geist des Menschen, in seinen Verhältnissen zum physischen Leben. Wien bei Carl Gerold 1820.
9) Theorie der Krankheiten, oder allgemeine Pathologie. Wien bei Gerold 1823.
10) Sequuntur singulae dissertationes in publicis ephemeridibus:
    a) Von dem Einflusse der Philosophie in die Theorie der Heilkunde. In der Salzburger medicinisch-chirurgischen Zeitung. Jahrgang 1805, im 2. Bande, pag. 19 et seq.
    b) Bemerkungen über die Natur und Heilung des ansteckenden Typhus. Ebendaselbst, Jahrgang 1807 im 2. Bande, in der Beilage zu Nr. 45, pag. 352.
    c) Beiträge zur Theorie der Heilkunde. In den medicinischen Jahrbüchern des österreichischen Staates. Zweiten Bandes 1tes Stück, pag. 79.
    d) Der Lebensproceß. Ebendaselbst. Dritten Bandes 3tes Stück, pag. 57.
    e) Die Heilung der Krankheiten nach der Regel und nach der Mode. In den Abhandlungen österreichischer Ärzte, im 4. Band, pag. 291.